

## Werk

**Titel:** Syncretismi, In cap. 21. tractat. De Ratione Status Germaniae Modernaе a Nonnemin

**Autor:** Schmidius, Sebastian; Zentgraf, Johann Joachim

**Verlag:** Spoor

**Ort:** Argentorati

**Jahr:** 1670

**Kollektion:** VD17-Mainstream

**Gattung:** Dissertation:theol.

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN750576855

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN750576855>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=750576855>

**LOG Id:** LOG\_0004

**LOG Titel:** Consideratio Tractationis ipsius.

**LOG Typ:** chapter

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

## Consideratio

### Tractationis ipsius.

#### §. 1.

Quicumque ex merito alium refutaturus est, quatuor has cum primis observare debet, ut (1) nervum questionis bene ponat. (2) mentem & verba adversarij probe consideret, & fideliter alleget. (3) ut stringentibus argumentis, quibus suam sententiam propugnet, sit instructus, & (4) contrariae opinionis fundamentis ex asse satisfaciat. Jam quod Theologus noster adversus causam Amici, quam defendimus, ex his aut nihil aut parum praestiterit, in singulis §§. sumus ad oculum demonstraturi.

§. 2. Primæ hæ tractationis ipsius, Syncretismi gratia susceptæ, lineæ, Lector cordate, statim qualis sit Noster, docent. Vel enim per Theologum, quod vocabulum aliquoties dein repetiit, Amplissim. Disputationis, qua sibi ulcus pressum sensit, Dn. D. Præsidentem intelligit, vel ipsum Respondentem autorem. Si Pl. Venerand. & Excell. nostrum Præceptorem, homo est animi prorsus inconstantis, minusque solidi, tribuens Viro celeberrimo ea, à quibus eum jam liberum credidit, rursusque negans ea, quæ palam tamen ante confessus fuerat; sin hunc scopicum agit & Cavillatorem, juvenem, quem Studiosum Theologiæ adhuc esse novit, supraque tyronem appellavit, Theologum vocando. Quam Ambri-  
fetti nostri biliosam impotentiam semel notasse satis erit. Ceterum optandum, ut Noster Logicam non pro habitu Theoretico potius, quam Practico habuisset, & quæ ipse ex merito alium refutaturi requisita posuit, cum primis observare voluisset! Hoc tamen interea notamus, Ambrisettum stringentibus disputationis argumentis sic se constrictum deprehendisse, ut conatum sui adversarii non simpliciter rejicere ausus fuerit, sed dubii plenus, aut nihil, aut parum, & sic ipso adversario monitore aliquid, praestitisse, asseruerit. Verum audiamus ad oculum demonstraturum. Ita autem ille.

§. 3. Transeat

§. 3. *Transcat verò, inquit, statim anilis illa querela, quam, in §. 1. modernis Statistis oggannit. Neque enim hic questio est de animæ præstantia mundanis cunctis antepo- nenda, sed de conciliatione religionum in Imperio rece- ptarum, num salva salute animæ, salvisque fidei principiis fundamentalibus, ad publicum commodum fieri possit? Qui jam hac in re Syncretismum oppugnat, primo ignorat elee- chum: totus enim rei cardo non vertitur hic in Syncretismo, cujus patrocinium proprie non suscepit noster Autor in suo illo tractatu, sed in consilio uniendarum religionum, quæ duo profecto satis sunt distincta, nisi velimus & Ca- rolum V. Imperatorem ac successores ejusdem, Imperijque il- lorum temporum proceres, qua Evangelicos, qua Romano Catholicos, ob unionem religionum tantopere exoptatam Syncretistas profiteri.*

§. 4. *Verum enimvero justa est querela ista, quæ ob modernorum Statistarum, & Syncretistarum imprudentem, cæcam, & pacis prorsus perniciosæ, cum hæreticis, dogmatibus suis pertinaciter inhærentibus, ineundæ, quam noster Politicus etiam, si rem ipsam spectemus, urget, cupiditatem, instituitur, etsi Novatoribus, quibus aures pruriunt 2. Tim. 4. 3. anilis videatur. Deinde contra requi- sita à se posita, mentem & verba adversarii sui nec probe conside- ravit, nec fideliter allegavit. Negavit Respondens noster Poli- ticæ tantum felicitatis ergo pacem quærendam esse, sed animæ salutis potissimum in hoc negotio rationem habendam conten- dit, ita ut, quoniam unio cum non Catholicis seu hæreticis, qua- lis vulgò jactatur, animæ perniciem post se trahat, ut in tracta- tione ostendit, eadem invalida & repudianda sit. Non ergo dis- sertationis autori questio præcise est de animæ præstantia mundanis cunctis antepo- nenda, sed Irenicos hanc ob oculos sibi positam ha- bere vult, in suo pacificationis Ecclesiasticæ negotio. Deinde non oppositæ sunt quæstiones de animæ præstantia, & de concilia- tione religionum, cum illi hæc subordinetur, sic ut quæcunque*

conciliatio fidem illam non relinquit, animæque damnum infert, penitus omittenda sit. Ambigue dicitur, num Conciliatio religionum in Imperio receptaram salva salute animæ, salvisq; fidei principis fundamentalibus ad publicum commodum fieri possit? Vel enim loquitur Ambrifettus de religionibus, ut sunt & manent diversæ, sine facta prius anathematizatione suorum errorum fundamentalium, vel ut his valedicant, eadem nobiscum amplexæ fundamentalia; si illud dicit, prout, si rem ipsam, quæque in Tract. suo Jctus habet, spectemus, etiam asserit, omnino Syncretismum fovet, estque ejus protestatio contraria facto, cumque huc etiam vergat ejus *consilium uniendarum religionum*, ut dictum cap. 21. Tract. de Rat. Stat. clare ostendit, Syncretisticum illud est, nec Autor à Syncretismi patrocinio sine insigni verborum detorsione se liberabit; nec jure dicet eum ignorare elenchum, qui ejus consilio, dictis & studio contraendo, Syncretismum impugnat. Sin autem hoc posteriori sensu quæstio est, omnino affirmamus, exoptamusque talem unionem, etsi ob *σκληροκαρδία* adversariorum præter votum nihil nobis relinquatur. Carolus V. Imperique proceres ob desiderium unionis præcise, nemo pius Syncretistas dixerit, etsi factum Cæsarum, Interim Protestantibus obtrudentis, nemo cordatiorum probaverit, nisi & *ἐνοτικὸν* Zenonis, & Epistolam Constantini M. quis admiserit. Quid enim de ista interreligionis Formula, cui, ut ex Sleidan. l. 20. & Petr. Suav. Polan. Hist. Concil. Trid. l. 3. constat, tam Protestantes quam Pontificii contradixerunt, habendum sit, notum omnib. est.

§. 5. Deinde si omnino quis contra Syncretismum argumentari velit, argumentum omnino tale esse debet, ut non presupponat, Romano Catholicos & Calvinianos hæreticos esse, seu in fide fundamentaliter errantes, neque porro tanquam indubitatum, argumenti vicem habendum est, hujusmodi fœdus spirituale animæ esse nociturum, scil. cum de his & similibus inter Syncretistas & AntiSyncretistas utique adhuc controvertatur, quæ quoniam ab adversario jam presupponuntur in d. §. 1. videt sane quilibet, argumentum

*gumentum illius contra Syncretistas valde misellum ac nullius ponderis esse.*

§. 6. Pontificiam & Calvinianam doctrinam esse hæreticam, huicque pertinaciter addictos hæreticos, non *presupponitur*, ut noster calumniatur, sed solide ex Dei verbo probatur, & adversariis obmutescentibus pro probato habetur, & habendum est. *foedus autem spirituale cum hæreticis animæ nocere*, nemo nisi impudens Syncretista & Atheus negaverit. Hæretico enim qui ave dicit, *communicat cum ejus operibus malis*, 2. Joh. v. 11. & sic cum illo *accersit sibi celerem interitum*. 2. Pet. 1. 2. Et licet Syncretistæ AntiSyncretistis, ad quorum scripta hætenus non responderunt, nec etiam solide respondere possunt, contradicant, exinde in reprobum sensum datos homines hos non immerito colligimus.

§. 7. *Syncretismus ab adversario Autori nostro objicitur, isque expressus & crassus, propter verba ejusdem d. tr. de Rat. Stat. pag. 651. Argumentum inde in formam deductum ita se haberet ex mente Antagonistæ.*

*Quicumque statuit moderamen tale, quo si non ex asse, saltem aliqualiter ad unionem redire liceat, majoris concordie gratia, is expresse & crasse statuit Syncretismum. Atqui Autor prius illud facit. E. &c. Resp. Majorem esse falsissimam, & posse infringi per instantiam ipsius Lutheri, qui in Colloquio Marpurgensi cum Calvinianis aliqualiter saltem in unionem redijt. Sleid. de stat. rel. lib. 6. pag. 175. & 176. ac Dress. in Mill. 6. p. 73. Et tamen nemo est, qui propterea Lutherum Syncretismi insimulet.*

§. 8. Irritus est, *Ambri sette*, tuus conatus, quo Amicum tuum ab expresso crassoque Syncretismo vindicare studes. *Concordie Ecclesiasticæ negotium suum habere, & habere posse moderamen, quo si non ex asse, saltem aliqualiter, & eatenus ad unionem redire liceat, ut simus, quàm hætenus, multo concordiores, opinatur ille Tract. de Rat. Stat. Germ. p. 651. Moderamen hoc in subsequentibus*

quentibus sic explicat, (1) *ut si Romano-Catholicus fueris, Lutheranus vel Calvinianus, ubi ad ipsum punctum Christiani & amici colloquij, quale Cassellanum potissimum ab eo predicatur, ventum est, disputando* (de fundamentalibus scil. doctrinae capitibus, de his enim est quaestio, & de talibus nobis disputandum est cum Romanens. & Calvinistis) *tuam sententiam NB. non precise defendas, & quicquid alter dicat ab ea diversum, verbis convellere in animo habeas, juxta pag. 660. d. tract. h. e. veritatem caelestem prodas.* (2) *nec nos, nec adversarios Pontificios, ob celebriores controversias, de medio justificationis, de cultu sanctorum, &c. satis habere cause, cur invicem NB. haereses notam nobis inurere praesumamus, pag. 666. &* (3) *has cum Romano Catholicis, à quibus tamen Gloriosi Confessores nostri justissimam (et si haud obscure vi hypothesium Politicus noster id neget) secessionem fecerunt, & Reformatis celebriores controversias sic esse comparatas ait, ut NB. potius ad scholas pertineant, eaque propter seu neges illas, seu affirmes, haereticorum Catalogo NB. nullatenus connumerari merearis. ibid. pag. 665.* Ex quo etiam constat, quod illud Politici nostri *aliquaqualiter ad unionem redire*, non necessario jubeat Romanenses & Reformatos errores suos, quos haecenus credidimus fundamentales, abjicere, cum praecipuas controversias, v. c. de medio Justificationis coram Deo, de Absoluto decreto, de Persona Christi, de Sacramento &c. tales, quae absque dica haereses affirmari & negari possint, credat. Conf. d. tract. p. 665. & pag. 668. seq. sed erroribus istis verè capitalibus haud obstantibus, sine una eademque fide, qua sola tamen Christo ceu membra conjungimur, unionem Ecclesiarum diversarum, Lutheranorumque, Calvinianorum, & Pontificiorum in unum cœtum coactionem significet. Quæro jam, cordate & pie Lector, annon hoc sit expressum, crassum, Deoque & omnibus sanctis abominabilem statuere Syncretismum? judica, an immerito *Autori de Rat. Stat. autor disput.* Syncretismum objecerit? judica, an *major* argumenti propositio de tali *moderamine, & aliqua unionem*, qualem Ambrissetti amicum requirere, & moliri jam ostendimus, concepta, sit, ut noster nugatur, *falsissima*? judica denique, an per *instantiam ipsius Lutheri infringi possit*?

Falsissi-

Falſſiſſimum potius eſt *Lutherum in Colloquio Marpurgenſi cum Zwinglio* (non cum *Calvinianis*, ut noſter ineptit, quippe qui iſto tempore 1529. nondum innotuerant) *aliquaſiter in concordiam rediſſe*, ſic, ut vel Zwinglio in articulis controverſis ſentiendi *di-verſa libertas*, quæ noſtro Politico arridet, conceſſa fuerit, vel Lutherus ad Zwinglianorum ſententiam declinaverit, cum potius ipſe Zwinglius, teſte *Philippe* in *Relat. Colloq. Marpurg. ad Johann. Elector. Saxon.* ceſſerit, ſententiamque *Lutheri in omnibus, excepto hoc uno de præſentia Chriſti in Cæna Dominica, approbarit*, qualem tamen ceſſionem noſter non urget; vel ut B. Vir aliqua-lem hanc unionem ad pacem Eccleſiaſticam, & Fraternitatem ſpi-ritualem, ſufficientem judicaverit, manſit enim diſſidium, ut ex *Sleidan. l. 7. f. m. 156.* patet. videſis, *Ambriſette, Præceptoris mei Magn. Dn. D. Calovii Δοκιμας: Spir. Syncretiſt. Hoornbeki de Conſociat. Reform. & Auguſt. Confell. pag. 30. ſeq. B. D. Hutter. Con- cord. Conc. Præfat. Apol. li. 3. ſeqq. & pag. 1199.* & adductæ in-ſtantia te pudebit. Audi hac vice adhuc ipſum *Lutherum t. 1. Isleb. p. 529.* *Ihr möchtet vielleicht gerne wiſſen/was wir zu Mar-pura außgerichtet hätten ꝛc. So haben ſich unfere Widersacher (NB.) ſehr freundlich und demüthig gegen uns geſtellet / mehr denn wir meynten. Denn ich dachte ſelber / wir würden entel harte Steine allda finden/aber Gott gab Gnade/ daß ſie ſich de-müthigten/und ob Gott will/ſo wird nun ihr hoffärtiges Schrei-ben wider uns ein Ende haben. De peccato originis ſind wir einig ꝛc. ſonſt haben ſie (NB.) ein Stück 6. oder 7. willig eingee-räumt und eingegangen/als von der Kinder-Tauff/von der juſti-fication, Nuß und Brauch deß Abendmahls / und ſtimmen in dieſen Stücken Gottes Wort mit uns überein / und ſind von ih-ren vorigen Lehren williglich (NB.) abgeretten/ (utinam Calvi-niani & Pontificii, quoad capitales errores idem facerent, Deo-que gloriam darent, quam facilis eſſet unio!) und gaben zu/ daß man im Sacrament Glauben und Troſt empfahe. Aber daß allda ſey warhafftig und leiblich Chriſti Blut / das können ſie noch nicht glauben. Et pauld poſt. Brüderſchaft haben ſie von uns begehrt / die haben wir ihnen (NB.) auff dißmahl abge-ſchlagen/und nicht zuſagen können/denn wenn wir ſie für Brüder*

D

und

und Schwester annehmen / so müssen wir (NB.) verwilligen in  
ihre Lehre.

§. 9. *Quin imo pergit, & optima ratio vel aliqualem  
unionem suadet, si quidem melius est, si in omnibus recte  
sentias, pati, ut adversarii in diversis errantes, qui in  
omnibus nolunt, saltem in aliquibus, & quidem cum spe  
majoris concordie ad te accedant, quam si pluribus errori-  
bus irretiti maneant. Nec propterea oportet Christum  
cum Belial, lucem cum tenebris, veritatem cum mendacio  
conjugi, nam qua ex parte aliqualis ista conjunctio fit,  
hinc inde est Christus, lux, veritas, non Belial, tenebra vel  
mendacium. Cetera quæ contra Syncretismum hic addu-  
cuntur, partim incerta sunt, partim abluunt à scopo.*

§. 10. *Imò vero optima ratio ex verbo Dei illuminata vel aliqua-  
lem unionem, quæ durante adhuc fundamentali dissensu in uni-  
co etiam articulo inicitur, improbat. Hæreticum hominem, qualis  
etiam is est, qui unicum errat errorem fundamentalem, post unum  
& alteram admonitionem fuge, ait Paul. Tit. 3, 10. 2. Joh. 9, 10. 11. Et  
licet absolute loquendo melius sit ut adversarii saltem in aliquibus,  
& quidem cum spe majoris concordie ad recte sentientem accedant, quæ  
si pluribus erroribus irretiti maneant, ad pacem tamen Ecclesiasti-  
cam insufficientis est, fundamentum fidei, & quæ illud respiciunt,  
salva sint necesse est. Unicum hæreticum dogma pertinaciter,  
post unam alteramve admonitionem, defensum, unionem hanc  
tollit; ob unicum hæreticum dogma Ecclesia sinuo suo pertina-  
ces hæreticos ejecit, ut Histor. Eccles. docet. Paucis: Aliqualis ista  
unio fit vel cum consensu fundamentali vero & plenario, & sic  
etiam per fidem est unio cum capite Christo; vel manet etiam  
in uno fundamentalis dissensus, & in tantum hac ex parte unio  
quæ inicitur, est conjunctio Christi cum Belial, lucis cum tenebris, veri-  
tatis cum mendacijs. Cetera quæ contra Syncretismum ibi adducun-  
tur tamdiu certa stabunt, nec à scopo Disput. aliena dici possunt,  
do nec id solide fuerit ostensum.*



§. II. §. III. *Sollicitus est, inquit porrò Noster, adversarius ut probet Lutherana religionis veritatem, sed plane præter rem, quoniam amicus ille noster eandem haud negavit in suo tractatu; sed tantum argumentum illud, quo vulgo argumentantur à veritate religionis, ad exclusionem unionis, asseruit haud stringere Syncretistas, multo minus Lutherana religionis adversarios, quippe qui veritatem ejus nondum agnoverunt, ut sic talis ratiocinatio utique petitionem quandam principij contineat.*

§. 12. *Ubi vero, Ambrissete, sollicitus est adversarius tuus, ut probet Lutherana religionis veritatem, cum remisso lectore ad scripta nostratum Theologorum, expresse dicat, se non necessum habere ipsam multis argumentis probare, & quidem plane præter rem? quoniam, inquis, amicus ille noster eandem haud negavit; certe eandem etiam non approbavit, imo veritatem ejus adhuc controversam, & eum, qui religionem nostram in omnibus veram dicit, principium petere affirmavit. Unde bene fecit autor Disputationis ostendendo, quomodo veritas Religionis nostræ contra negantes probari debeat. Tantum addis ceu infallibilis Tui amici interpres, argumentum illud, quo vulgo argumentantur à veritate religionis, ad exclusionem unionis, asseruit haud stringere Syncretistas. Omnino stringit, & vim sufficientem stringendi habet, quamvis pestilentissimi hujus generis hominum vitio, exundanti malitia, pervicaci renitentia, pertinaci errore, & omni solida ratione destituta hypothesis, de fundamentali partium consensu, ex vano, & puro puto novitatis pruritu, obstetricante indolis controversiarum ignorantia, excogitata, non semper ad ultimum effectum deductam. Sane non credo eo absurditatis propectum ullum Syncretistam, ut hanc neget propositionem: Nulla vera religio unionem inire potest cum ea, à qua quoad fundamentalia fidei dissentit; itemque ut subsumtionem de Lutherana Ecclesia, quoad fundamentalia, facile inficietur, etsi aliorum cum D. Georg. Calixto crassorum errorum matrem hanc nostram accusare non dubitaverit. Errare autem Calvinian. & Pontificios in fundamen-*

talibus fidei dogmatibus, aliis dein evincitur argumentis, unde hactenus generale hoc argumentum satis stringit immaturos Irenophilos, pergendumque tum à generalibus ad specialia. Quod *adversarios religionis Lutherane* attinet, et si veritatem ejus nondum agnoverint, Calvinianos certe petitionem principii hoc nomine nobis ita argumentantibus objicientes vix audias. Concedunt enim, aut videri volunt concedere, scribuntque, penes nos fundamentalia fidei principia salva relinqui. Ita *Dureus*, qui publico nomine *Negotium Irenicum* se tractare jactavit, scribit ad Ampliss. Dn. D. *Rebelium* nostrum Prodiorthos. pag. 103. Tu mihi respondes, si schisma tantum est, & in fundamento fidei nullus dissensus, cur Vestri (Reformati sc.) Symbolis nostris subscribere hactenus recusant? Si ego vellem hic Reformatum agere, eo animo, ut tibi ratio redderetur, quare Symbolis vestris non sit æquum subscribere; etiamsi non negent illa veritatem continere (NB.) fundamentalem &c. item ex *Hoornebeki*, *Melleti*, aliorumque libellis Irenicis constat. Quanquam autem Pontificii pro sua arrogantia, si religionem nostram veram dicimus, principium nos petere clamarent, non tamen jure id facerent; non enim is petit principium, qui ex eo quod solide ante probavit, contra adversarium suum argumentatur, et si ex malitia hic sine ratione sufficiente contradicat. Si quis *Ambrosetti* hypotheses, quas ille solide se, si diis placet, probasse credit, negaret, nec ei satisfaceret, num recte se petitionis principii, quando illis contra adversarios, vel alias, utitur, argui concederet? vix credo. Sed audiemus hominem porro.

§. 14. *An vero hanc nostri Theologi jam removerint, sic ut ne scrupulus quidem supersit, de ea re audiendi etiam sunt in colloquio Romanenses & Calviniani, non autem in principio hoc argumentum, quod nostra religio sit per omnia scripturis conformis, adeoque per omnia vera, nimis urgendum videtur, cum etiam id ipsum sit inter nos & contrariorum religionum defensores quam maxime controversum, quanam religio scripturis secundum genuinum sensum*

*sensum intellectus altera sit conformior, ac notiores sunt de sensu scripturum in multis locis discrepantia, quam ut hac vice adduci debeant.*

§. 14. Pugnatur hic sed sine hoste noster; quis enim negavit ea de re in Colloquio Romanenses & Calvinianos audiendos esse, an nostra dogmata, & quousque, approbent vel improbent? Quis in principio statim argumentum de veritate religionis nostræ, ita crude & nude urgendum, & sic apud ipsos (NB.) adversarios quasi præsupponendum esse, dixit? quemadmodum pontificius quidam cum Lutherano aliquando disputaturus dixisse fertur: Præsuppono, antequam tecum disputo, Pontificem Romanum esse infallibilem. Aliud est, *Ambrissete*, de sua religione ex verbo Dei esse certum, quæ ἀσφάλεια in quemvis orthodoxum cadere debet, aliud eandem certitudinem, tanquam hypothesein apud adversarios, quibuscum de ea re disceptatur, velle supponere; quis facit hoc posterius? Ἀνάλυσις utriusque sententiæ accuratissima suscipienda, ad ἀποκατάστασιν usque deducenda, progressiva tamen potius, quam inchoativa, verba sunt desideratissimi nostri Præceptoris B. Dannhavver. in Ill. & Obic. Pac. pag. 383. Denique quis negavit controversum esse, quanam religio scripturis alterâ verè sit conformior, omnis lis sopita foret, si inter partes hac de questione convenire omnimode potuisset. Sed pergimus.

§. 15. Cetera, inquit noster, quæ hic de Calvinianorum erroribus & aliis nonnullis per discursum affert Theologus noster, autorem non feriunt, cui etiam firmiter ostendi nequit, quod in tractatu illo articulos de Christo & Trinitate præcise sumptos, solum pro fundamentalibus agnoverit. Contrarium haud obscure colligi poterit ex d. c. 21. pag. 664. & 665. Denique instantiam ex Johan. 6. allatam quod concernit, parum certe Logica est, cum nulla adsit propositio universalis, quæ per illam infringatur, nam locus Joh. 17. de cognitione Dei, per quam quis sit beatus, uti & exemplum Petri loquuntur de beatitudine in sensu formali vel

*causali, sed instantia tantum isthac in sensu concomitati-  
vo, cum non ut in cognitione Dei vita aeterna consistit, sic  
etiam consistat, in misericordia vel luctu.*

§. 16. Omnino vero *que hic de Calvinianorum erroribus affe-  
runtur, ferunt tract. de Rat. Stat. autorem.* Somniat ille celebri-  
res cum Calvinianis controversias v. c. de Absol. decreto, Persona  
Christi, & S. Cœna, *sine hæresi affirmari posse & negari.* d. tract. p.  
665. ad. p. 687. seq. Pestilentissimam hanc sententiam refutat  
is, quem per cavillum *Theologum Ambrissetus* nominavit, Refor-  
matorum errores fundamentum fidei substantiale & dogmati-  
cum labefactare docens. Et quare Amico Ambrisseti *firmiter  
non ostendi possit, quod in tractatu illo articulos de Christo & Trinita-  
te precise sumtos, solum pro fundamentalibus agnoverit?* ab aliis  
enim Syncretistis, quorum in reliquis adeo fideliter vestigia le-  
git, eum hic abire, quis credat? Colligi etiam haud obscure hoc  
potest ex tract. c. 21. p. 662. seqq. & pag. quidem 664. ad quam  
noster provocat; distinguit Jctus Altorphinus inter ipsam *bea-  
titudinem & beatitudinis connexa*, illamque sitam esse putat, & com-  
prehendere sub se tantum doctrinam de art. de Trin. & incarna-  
tione. Manifestum ergo est, quod ad substantiam ipsam beati-  
tudinis obtinendam, duo hi *articuli de Christo & Trinitate precise  
sumti solum sint fundamentales*, quicquid sit de reliquis articulis,  
qui ad connexa & accidentalia beatitudinis saltem dicunt, se-  
cundum Jctum, respectum, & à fundamentalibus ad salutem  
ipsam obtinendam excluduntur. Denique *instantia ad exem-  
plum Petri, qui ob confessionis devotionem, ut Ambrosius loquitur,  
Beatus fuit pronunciatus, logica est, & inconcussa manens, mo-  
dum colligendi Jcti, ejusque formam argumentandi, frustra da-  
ta distinctione Ambrisseti opem ferente, ferit.*

§. 17. §. IV. *Male tribuit, queritur Noster, adversarius  
autori nostro sententiam concilij generalis, quasi illam pro  
remedio in unione religionum ita simpliciter agnosceret,  
cujus etiam verba p. 658. & p. 659. refert, sed mutila, cum  
autor ibi recenseat causas continuata hæctenus discordie  
reli-*

*religionum, quia nimirum nullum à tempore reformatæ religionis vel universale vel nationale concilium, siue etiam colloquium ad unionem ardentem directum extiterit. Qui igitur misis his de solo concilio generali loquitur, autoris mentem & verba non affert integra; id quod hic facit adversarius. Deinde Autor ipse agnovit concilii generalis difficultates d. c. 21. p. 652. cur ergo eidem contraria opinio adscribitur.*

§. 18. Sed, Ambrosio, quare & verba & mentem Tui adversarii pervertis? ubi tuo amico tribuit sententiam concilii generalis, quasi illam pro remedio in unione religionum ita simpliciter agnosceret. Suis Politici nostri concilium generale instituendum esse, item laudare eum colloquia dixit: est ne verò hoc alicui tribuere sententiam concilii generalis, quasi illam pro remedio in unione religionum ita simpliciter agnosceret? inepte affirmatur. Non ergo autori contraria opinio adscribitur. Addis, verba etiam non integra, sed mutila retulit, quia de solo generali Concilio loquitur, cum autor de nationali, siue etiam de colloquio ad unionem ardentem directo dixerit; sed cœcum te esse oportet vitio commotæ bilis, si non verba Statistæ de colloquiis Marpurgensi & Cassellano, quæ sola forte ad unionem ardentem directa agnoscis, ab adversario Tuo adducta observaveris. Falsum præterea est, causam per se & adæquatam continuatæ hætenus religionum discordia esse neglectum Concilium, vel Colloquium ad unionem ardentem directum; falsum etiam est, hætenus nullum colloquium ad unionem veram ardentem directum fuisse. Denique, Benevole Lector, judica de hac nostri consequentia: Autor ipse generalis concilii agnovit difficultates, E. non agnoscit illud simpliciter pro remedio simpliciter in unione. Quasi vero hæc duo non simul stare possint? Unde etiam subjicit.

§. 19. *Interim remedium Concilii generalis, si absolute consideretur, ego non simpliciter rejecerim, uti quidem constat & Lutherum nostrum à Pontifice provocasse ad Concilium, ac majores etiam nostros, multis sæpe suspiriis liberum*

berum concilium, quo Ecclesie abusus, qui per tot seculo-  
rum decursus irrepsent, radicatus iterum excindi ac  
emendari possent, expetisse, & quasi anhelasse.

§. 20. Quis Concilium legitimum simpliciter rejiceret?  
Utinam inquit, B. noster D. Dannhavver. Ill. ob. Pac. p. 137. Deus  
hanc proceribus Europæ instillaret mentem, ut glorie divinae pacisque  
studio sincero ducti, obices dignitatem, commodorum, respectuum pro-  
priorum tantisper removeant, & similitates privatas Ecclesie condo-  
nent, & tale Concilium, quale oportuit, adornent. Sed quando li-  
berum Concilium sperare licet? Qua Pontificii sint voluntates,  
Concilium Tridentinum docuit; à Reformatis quid polliceri  
nobis possimus, in Synodo Dordracena apparuit. vid. B. Nicol.  
Hunn. Præfat. Diascepl. de Fund. Dissens.

§. 21. Habet porro autor hoc in paragr. cur juste de  
adversario queratur, ob sinistram suæ sententiæ explicatio-  
nem: nam de scriptis nostratum Theologorum ipsi ne in  
mentem quidem venit affirmare, quod ad victoriam &  
ostentationem magis colliment, non vero ad eruendam veri-  
tatem, sed de disputationibus in colloquiis hinc inde per-  
actis loquitur, d. p. 659. quæ certe ut plurimum fuerunt  
acerbæ, nec sine notabili animi præoccupatione.  
Hanc autoris mentem tam claram cum non viderit Schrag-  
müllerus, & eum tamen, refutandum crediderit non  
potest non ipse, & quicumque adhuc contra literam d.  
tractatus Autori nostro calumniam imputat, caciore esse  
talpa.

§. 22. Quicquid sit de Theologorum scriptis, (pro qua tamen  
voce legendum esse τὸ colloquia totus contextus docet, ut proin  
non data opera illam pro hac substituerit Respondens autor,  
nec eidem hoc vocabulum aliter irrepsit, ac Ambrietto Refut.  
pag. 20. pro τὸ ex Luc. 6. unde instantia desumpta erat, τὸ ex Joh.  
6.) quis credat hominem illum mitius de Orthodoxorum scriptis  
sentire, qui inter orthodoxos vivens, verè Syncretistica calumnia  
zelum

zelum piorum Theologorum, veritatem cœlestem juxta verbi  
 divini normam defendentium, carpit, *disputationes*, inquam,  
 in colloquiis acerbas, magisq; ad *victoriam & ostentationem*, quam  
 ad *veritatem absq; ulla animi præoccupatione eruendam*, proprie di-  
 rectas fuisse, d. tract. p. 659. En cordate Lector, infrunitam ca-  
 lumniam in pios Theologos, qui dudum in Domino obdormi-  
 verunt, quibusque post Deum puritatem religionis debemus.  
 Charitativam scil. Dialecticam in cœcam charitatem termina-  
 tam cum *Dura*o noster expetit Jctus. *Talpa cœcior sit necesse est,*  
*qui tui, Ambrissete, amici tepidam, & amore Syncretismi cœ-*  
*cam mentem non videat.* Ad tuum judicium, pie Lector, pro-  
 voco, & judica sine affectibus, Num *Theologi acerbitatis* accu-  
 sandi sint, & quidem ab eo qui Lutheranus esse vult, & inter  
 orthodoxos vivit, qui contra pertinaces hæreticos disputantes,  
 magno animo, & pio justoque zelo, exemplo Christi, Aposto-  
 lorum, Patrum Ecclesiæ Primævæ, & B. Lutheri, pro gloria  
 Numinis & veritatis cœlestis victoria pugnarunt. Et senserint  
 vim veritatis adversarii, ut magis exacerbati discesserint, quid  
 tum postea? *non veni ut pacem mitterem, sed gladium*, inquit *Chri-*  
*stus Matth. 10, 34.* Was soll daß Sals / wann es nicht scharff  
 beisset? Was soll die schneide am Schwert / wann sienicht scharff  
 ist zuschneiden? Sagt doch der Prophet / der Mann sey verma-  
 ledenet / der Gottes Gebot oben hinthut / und zu sehr verschonet /  
*B. Luther, tom. 7. Witteb. f. 55.* Recte etiam fit, quicquid *Hoorn-*  
*beck*, & alii Syncretistæ Calviniani cum nostro Politico oggan-  
 mant, quod *disputationes ad victoriam*, non propriam, sed veri-  
 tatis, h. e., ad *ἀνλοκατάκλισην* adversarii & erroris Palinodiam,  
*instituantur*, exemplo Christi Sadducæis os obturantis *Matth.*  
*22, 34.* Stephani, *Act. 6, 7.* Patrum, & Conciliorum œcumeni-  
 corum. Et quæso quis est finis omnium disputationum, quam  
 ut veritas eruatur? miram sane oportet nostri esse Logicam, Lul-  
 lianam certe, si aliter sentiat. Evicta autem veritate ut adver-  
 sarius nil solidi contra afferre possit, oritur ista victoria. *ἐλεγχ*  
 à Sp. S. mandatus *convinci* vult errantes, at disputatio unicum  
 est medium, quo convincuntur conscientiæ. Et licet Theo-  
 E  
 logi

logi qui veritatem ita vincere malunt, apud *Duraeum*, *Dieftium*, ejusque farina alios homines, hoc nomine male audiant, parum tamen illi commoventur, cum horum impotentiam rideant: quæ de *notabili animi præoccupatione* noster garrit calumniam spirant.

§. 23. De cætero, concludit ulterius, *valde incongruum videtur, eo adversarum religionum consortes, & quidem ante causam cognitam adigere velle, ut nostratum Theologorum scripta pro Mose & Prophetis habeant. Ego equidem nec Domino Præsidi hujusmodi fastigium inviderem, id solum vereor, ut vel Romano Catholici vel Calviniani, parem eidem attribuant auctoritatem cum Propheta Esaia.*

§. 24. Omnino valde incongruum hoc ab *Ambri setto* dictum est; calumniam enim, ineptias, & cavillatorem spirat. Quis adversarum religionum consortes eo adigere vult, ut nostratum Theologorum scripta habeant pro Mose & Prophetis, ut parem cum his illis, & infallibilem tribuant auctoritatem? illa quoad articulos fidei nihil extra Mosen & Prophetas dicere, & sic *Mosen & Prophetas*, h. e. *Mosis & Prophetarum doctrinam*, continere asserit Respondens autor, quod etiam nemo nisi heterodoxus inficias iverit. vid. *Disp. pag. 7.* Et quid? *nondumne est causa cognita per tot colloquia v. c. Mombelgardense*, in quo controversiæ statu ad liquidum perducto, & crassi & male defensi errores Calvinianorum apparuerunt, legat ingenuus & à Partium studiis liber lector Colloq. & videbit, vid. etiam *D. Sigvart. Admon. de Iren. l. 1. c. 4. Ratisbonense*, in quo Jesuitæ tandem ad petitiones principii, falsas hypotheses, quas præsupponi voluerunt, absurditates & contradictiones adacti fuerunt, ut ex *Actis* constat; per tot scripta, contra quæ ne hiscere quidem adversarii hactenus audent, v. c. *Darmstadin. Theolog. contr. Cassellan. Dnn. Wittebergens. Gründlichen Beweis; B. Taufreri nostri contra Piscatorem in controvers. de Prædest. B. D. Dorschei contra Zvinger. in controvers. de S. Cœna. B. Menzeri in controvers. de Person. Christ. &*

*Dn. D.*



Dn. D. Calovii nostri in ead. controversia contra modernos & doctissimos quoque Calvinianos. Ita nota sunt scripta B. Chemnitii, aliorumque contra Pontificios, & Hornej. contra Grets. in controvers. de Script. S. in quibus scriptis cum ad minima quæque responsum fuerit, & error demonstratus, ita ut adversarii sæpius provocati ne mutire contra audeant, vel nil solidi reponere possint, num *causam nondum cognitam* dicemus? quod ulterius inde etiam confirmatur, quod adversarii convicti erroris, missis prioribus phrasibus, novis, nostrisque similibus, & ad fraudem tegendam compositis, sua dogmata proponant. Erroris & convictionis confessio non semper est speranda. Quis in conciliis causam non cognitam dicet, etsi convictionis confessionem hæretici non ediderint, ad iudicium extremum res hæc pertinet. *Fasidium*, quod liberalis noster *Ambrisett.* Ampliss. Dn. D. Præsidi, ut sc. scripta ejus pro Mose & Prophetis habeantur, concedit, ille non desiderat, id veretur ut *Ambrisetto*, Consilarii Imperialis Dignitas, quam ambire videtur, tribuatur; vel eum negotio unionis Ecclesiasticæ ob imperitiam, solidioris Theologiæ ignorantiam, & studium Syncretismi, Ordines Imperii præficiant.

§. 25. §. V. *Non principaliter*, ita interpretatur ulterius sui amici mentem *Ambrisett.* *Autor noster conciliationis media præscribere voluit, ut ei affingit adversarius, scopus enim ejusdem diversus jam supra satis fuit declaratus, & patet etiam ex pag. 666. Deinde neque terminavit hisce enumeratis controversiis inter nostros & adversarios dissensum, cum eas tantum exempli gratia adduxerit, nec inficiatus sit adhuc alias dari, quibus invicem discrepemus, conf. d. c. 21. p. 665. ibid. ad-jicere posse plures alias.*

§. 26. Sed *Ambrisette*, ubi Autori affingit adversarius tuus, quod *principaliter conciliationis media præscribere voluerit?* non certe in §. 5. *media* saltem illum præscribere dicit, quod nec tu

omnino negas, solum principaliter hoc amicum tuum intendere inficiatus. Nec etiam negare potes, id quod ex scopo supra declarato, & cap. 21. d. tr. constat. In animo nimirum habuit consilium dare de negotio religionis, & (NB.) qua ratione si non omnino, aliquantulum saltem eadem in concordiam revocari possit. Ita habet summa c. 21. p. 650. Sed consilium dare, & media simul præscribere, intra terminos tamen consilii, non sunt opposita, & utrumque fecisse Politicum totum cap. 21. testatur, & summa capituli apertè confitetur, addatur etiam p. 5. refutatur. Sed clara res est. Quanquam autem enumeratis istis controversiis inter nostros & adversarios non terminaverit dissensum, in celebrioribus tamen controversiis, quas ei adducere animus fuit, dissensum inter partes esse fundamentalem negavit, conf. tract. p. 665. 666. 687. seq. & pestilentissimum invenies, Lector, de momento conversiarum capitalium iudicium.

§. 27. §. VI. Disputatur fuse à Theologo nostro contra Pontificios, ex quo discursu nihil ad amicum nostrum pertinet, quod vero adversarius hunc articulum fundamentalem asserit, & satis suæ causæ se putat consuluisse, per distinctionem inter articulos fundamentales, primario vel secundo tales, in eo arbitror ipsum valde decipi, cum enim articuli fundamentales secundarii simpliciter possint nesciri salva spe salutis, cur ergo absolute opus est, ut in controversiam veniant? & quidem hoc sensu, ut nisi eos alter concesserit hæreticus inde fiat? Ita enim dicit aliquis, eos hac qualitate tutius ignorari potuisse, cum spes salutis & sine illis contigisset in statu simplicis nescientie.

§. 28. Quæstio est de momento controversiæ, qua de Auctoritate, perfectione & claritate S. litterarum inter Lutheranos & Romano Catholicos disceptatur. Schragmüllerus articulum hunc fundamentalem secundario talem statuit, noster contra eum hoc nomine valde decipi arbitratur, cum enim inquit, articuli funda-  
men-

mentales secundarij simpliciter possunt nesciri, salva spe salutis, cur absolute opus est, ut in controversiam veniant? Quid? num cum Latro potuerit in cruce salvari absque scientia conceptionis Christi ex Sp. S. in Maria virgine, non absolute opus est ut in controversiam veniat, si Ebionita apud Euseb. l. 3. H. E. c. 27. vel alius hæreticus pertinaciter hoc negaverit? num, cum dogma hoc, *Deus est infinitus, immensus*, ignorari queat citra fidei detrimentum, secundum B. Nicol. Hunn. Dialceps. de Fund. Diss. p. m. 38. non absolute opus est ut in controversiam veniat, si negetur? sciat ergo noster aliquid posse ignorari ignorantia simplici, cujus tamen veritas quando negatur, absolute opus est ut defendatur, & quidem hoc sensu, ut nisi id alter concesserit, hæreticus indefiat, propter fidem sc. salvificam, cui negatio dogmatum istorum est contraria, quamque eadem evertit. Unde & primæva Ecclesia tales errores semper statuit hæreticos, eorumque patronos suo gremio indignos judicavit. Ita verodicit aliquis, instat Ambrisetus, eos hac qualitate tutius ignorari potuisse, cum spes salutis & sine illis contigisset in statu simplici nescientia. Sic est, tutius ignoravit latro in cruce, quam negavit conceptionem Christi ex Sp. S. tutius ignoravit Nathanaël Jesum Nazarenum esse Messiam, quam, cum hoc audivit, postea negasset; ibi enim, in ignorantia simplici, non adest venenum fidei contrarium, hic vero adest quod cum fide stare nequit. Sed pergimus.

§. 29. Deinde, inquit Noster, non satis est asserere, in articulis secundario fundamentalibus inficiationem damnare, nisi id ipsum etiam per argumentum stricte ex scripturis probes, de quo tamen hic altum silentium. conf. d. c. 21.

§. 30. Inficiationem pertinacem, & veritati non cedentem, articulorum secundario fundamentalium damnare, Sp. S. errori in ejusmodi articulum anathema dicens judicavit. Conf. Act. 15. v. 1. collat. cum Gal. 1. 8. & 9. c. 5. 2. Judicavit universa Ecclesia quinque secularis hæreticos hos articulos impugnantes anathematizans; judicaverunt SS. Patres, & B. noster Lutherus,

quibus luminibus ut noster officiat, nimis est hesternus. Cæterum argumentum, cum desideret ita, *Ambrisseto*, præter jam positum, propono ex 1. *Timoth.* 4. v. 1. seqq. Omnis apostasia à fide, qua attenditur spiritibus impostoribus ac doctrinis demoniorum damnat. Inficiatio pertinax articuli secundario fundamentalis (ut ex v. 3. argumento à minori ad majus facto constat) & in specie inficiatio propriæ authoritatis & claritatis scripturæ, quam unice à papa & ejus explicationibus secundum Romanenses accipit, itemque perfectionis ejusdem debitæ & sufficientis, quam traditiones humanæ demum & figmenta eidem conciliare dicuntur, est talis apostasia, ad solum enim Dei verbum remittimur *Esai.* 8. & passim alibi. E. Et quid vehementius fulmine *Apo-calyptico* c. 22. 18? *Si quis apposuerit ad hæc, id quod faciunt verbo suo tradito Pontificii, apponet Deus super illum plagas, scriptas in libro isto.* Num jam cum talibus hominibus fraternitatem iniritutum sit, ipse, pie Lector, judica.

§. 31. §. VII. *Nostratium*, inquit *Ambrissetus*, *sententia contra Pontificios defenditur in materia liberi arbitrii; an sufficientibus argumentibus viderint alij, quod vero addit, non erubescere amicum nostrum & hic conciliandi animo scribere: utramque partem convenire in eo, quod non debeamus resistere operationibus divinis, sed quantum in nobis est per illam non resistantiam sive aliquem coinfluxum recte nosmet gerere, in eo iterum valde est iniquus.*

§. 32. Imo valde iniquus est *Ambrissetus* in disputationis autorem; quod sufficientibus argumentis *nostratium* sententiam in materia liberi arbitrii defenderit, tamdiu idem contendet, donec id non ab eo præstitum probatum fuerit: quæ vero *amicum* ejus conciliandi animo scribere affirmat, ipsissima mens *Irenophili*, & verba sunt, pag. 672. d. tract. posita. Sed audiemus causas accusationis à nostro allatas.

§. 33. (1.) *Ait quia subalternativam d. tract. p. 671. posita*

positam non satis fideliter expressit, deinde quia verbis citatis haud obscure alium de suo adjicit sensum, quasi sc. ex utraque parte determinate aequivaleat, ut quantum est ex parte nostri, recte nosmet geramus aut precise non resistendo divinis operationibus, aut coinfluendo, cum Autoris nostri haec sit mens; quod recte sese gerere debeant homines nec operationibus Spiritus S. resistere, in eo esse utriusque partis convenientiam, sive deinde quoad modum recta illa gestio sit mera non resistantia sive positivus aliquis coinfluxus, non quasi pro tempore praesenti, perinde sit discrepantibus religionibus quoad modum aut hoc aut illud asserere, sed quod utrumvis tandem eligatur, in recta illa gestione & non resistantia secundum se maneat convenientia.

§. 34. Tuum hic erit, Cordate Lector, de nostro judicare. Iniqua enim laborat suspitione, qua actus adversarium suum accusavit (1.) *subalternative non satis fideliter expressa*, cum tamen pag. II. disp. id fecerit, & (2.) *sensus verborum citatorum de suo commutati*, cum tamen de suo ne verbum adjecerit, sed ipsa Icti verba sic adduxerit, ut quoad rem nihil mutaverit, id quod verborum facta collatio docet; miror charitatem nostri sine causa sic suspicacem esse! Sed convenientiam in hoc de Libero Arbitrio controversia, qualem inter Nos & Pontificios noster jactat, aliquando penitus considerabimus, ut qualis sit noster, quale venenum in ejus pectore lateat, & quomodo studio pestilentis Syncretismi glaucoma imperitis objicere conetur, item quid orthodoxi ab eo sibi promittere debeant, cordate & verae pacis studiose lector, agnoscas. In eo Ictus Irenicus, interprete suo Ambrisseto, utriusque partis convenientiam dicit, quod recte se se gerere debeant homines, nec operationibus Sp. S. resistere, sive deinceps quoad modum recta illa gestio sit mera non resistantia, sive positivus aliquis coinfluxus. De phrasi quod recte se se gerere debeant, in conversionis sc. negotio, homines, annon lub ea Synergismus & virus Pel-

Pelagianum latere possit, jam nil dicam; *convenientiam* illam, prout à nostro proponitur, nullam esse ajo, quia nec *Pelagius* hæreticus, quod recte se se gerere debeant homines, negavit, talis ergo est hæc concordia, ut pessimæ hæresi cum ea convenire possit. Vides ergo, *Ambri sette*, verbalem tantum convenientiam, h. e. revera nullam! idem etiam de Pontificiis verum est, æque enim illi atque Pelagiani aliter *rectam istam gestionem sive non resistantiam*, quam Nos orthodoxi, intelligunt, ut notum est, unde si veram convenientiam in re aliqua quærimus, à modo nobis abstrahere non licet, ut Syncretistæ solent. Falsum proin est in eo utriusq; partis veram & realem esse convenientiam, quod recte se se gerere debeant homines, nec operationibus Sp. S. resistere. Imo tantum abest ut nostrates cum Pontificiis idem vere sentiant, ut ne de hac quæstione inter ipsos adversarios conveniat, ceu certamina Dominicanorum & Jesuitarum, item Molinistarum & Jansenistarum docent. Lippis & tonsoribus jam notum est, quod modernis Scholasticis, Thomistis præcipuè, & Calvinianis de modo efficacis gratiæ conveniat, celebres sunt ex secta *Prædeterminantium Bannes, Zumel, Alvarez* alique. Si qui alii autem ex Jesuitis e. g. *Suarez, Lessius*, hanc irresistibilitatem negant, illam tamen *non resistantiam* simul per cooperationem actuum voluntatis humanæ definiunt. Sed hæc determinatio nostro *Ambri sette* minus placet, unde addit: *Sive deinde quoad modum recta illa gestio sit mera non resistantia, sive positivus aliquis coinfluxus*. Verè hæc ad genium Syncretistarum dicuntur, quibus determinatio sensus fudes in oculis, cujus tamen diversitas, qualis, ut vidimus, in hac quoque de viribus Lib. Arbitr. controversia, & jactata convenientia deprehenditur, non nisi verbalem parit concordiam, h. e. re nullam. Verbo: quæ noster de *convenientia* utriusque partis in hac de L. A. quæstione dixit, eadem sunt ac si dicas: Lutherani & Sociniani in eo conveniunt, quod sit Deus pater omnipotens, ejusque filius unigenitus, sive dein quoad modum ille pater sit ejusdem cum filio unigenito essentiæ, sive non: Item ac si sic loquaris: Lutherani & Calviniani, quos præsentiam corporis & sanguinis Christi in S. Cœna reverà negate

gare constat, in hoc conveniunt, corporis Christi substantiam in s. cœna realiter & verissime præsentem esse, & cum pane unitam, sive si spatia locorum respicias, corpus tantum à pane absit, quantum altius cœlum à terra abest, & unionis modus sit significativus, ut Beza loquitur, sive non sit. Facile ex dictis intelliges, cordate Lector, qualis in illa recta gestione utriusque partis sit convenientia.

§. 35. *Ridiculum denique est, concludit Ambrosius ridiculus, Syncretistas ideo velle impugnare, quod Pontificios velint ab hæresi absolvere, cum tantus tamen inter nos & illos maneat dissensus. Frustra enim dissensus assertur per se alioquin bene notus, cum debuerit potius qualitas dissensus ostendi, quod sc. sit fundamentalis. Iterum ergo extra oleas & cum bono Homero dormitante vagatus est adversarius, dum neq; mentem neque verba Autoris nostri bene protulit.*

§. 36. Sed non tam ridiculum, quam Syncretisticum, & miseratione dignum est, Pontificios Pelagiana dogmata foventes, à Pelagianismo & Synergismo, hoc est hæresi, velle absolvere. Judicium Ecclesiæ (hactenus ab Orthodoxis probatum) quod Pelagianos hæreseos damnavit, qualitatem dissensus inter Nos & Pontificios Pelagianos, & Synergistas, ostendit, quod cum improbare nostrum non credimus, ulteriori probatione, quæ facilis, superfedemus. Constat autem non adversarium nostri, sed ipsum potius extra oleas vagatum, & cum bono dormitasse Homero, cum inique iniquitatis arguerit Respondentem autorem.

§. 37. §. IIX. *Questio ab autore nostro circa articulum justificationis coram Deo, non sic instituta fuit, an in fide solum, an præter fidem etiam in operibus medium salutis positum sit, sed hic est questionis nervus, num absolute necessarium sit actu reflexo medium salutis cognoscere? quod autor asseruit negandum esse, & utique recte. Adversarius autem affirmat hoc idem in adultis,*

*sed non addit rationem.* Sententia vero auctoris omnino defendi potest; pone enim aliquem in ista questione, an sola fides, an verò etiam opera justificent, dubium esse, nihilo secius tamen revera fidem in Christum habere sine confidentia operum; huic certe quo minus salvetur nihil obstat, quamvis illam questionem non probe admodum cognovisset, atque sic exemplum de agroto ex applicatione medicinae reconvalescente, sed ignorante cujus medicaminis præcisa virtute, minime claudicare. In exemplo autem ex adverso allegato, facile concedimus viatorem ignorantem viam, aberrare posse, si tamen etiam dubitans, recta via utitur, haud aberrabit, ut ille, qui adultus vel non adultus, ex applicatione fidei in Christum salvatur, licet sine cognitione reflexa medii salutis præcise spectati.

§. 38. Oculis meis vix legens hæc virulenta principia credebam. Ipse nervus questionis à nostro Syncretista hic esse dicitur: Num absolute necessarium sit actu reflexo medium salutis cognoscere? quod recte negari censet Ambrisettus, & quidem a deo confidenter, ut sententiam auctoris omnino defendi posse contendat. En pie lector, cui salutis æternæ curæ cordique est; quid homo hic dicat! Non absolute opus est per eum, ut actu reflexo medium salutis cognoscas, h. e. ut scias, hoc vel illud medium habere rationem, si æternam salutem adire velis. Judicate omnes à partium studiis liberi, quid in pectore noster foveat, annon pestilentissimum hoc effatum sit? Sed audiemus quomodo sententia auctoris omnino defendi possit! Pone, inquit Syncretista, aliquem in ista questione, an sola fides, an verò etiam opera justificent, (NB) dubium esse, nihilo secius tamen (NB) revera fidem in Christum habere sine confidentia operum, huius certe quo minus salvetur nihil obstat, quamvis illam questionem non probe admodum cognovisset. Sed bene se habet, quod dicat noster Pone, h. e. finge.

Inepia



Inepta enim & *doüsata* profert. Ineptum est quod concordiam in quaestione maximi momenti, de medio sc. justificationis & salutis, dubio, quodnam illud medium sit, superstruat; Incerta sane illa est concordia cujus fundamentum dubium & lubricum est. *Arüsala* sunt, dubitare an sola fides, qua meritum Christi fiducialiter apprehendit, an vero etiam opera justificent, & tamen revera in Christum habere fidem per quam salveris. Annon enim fides in Christum per quam salveris, est fides quæ sine operibus justificat? Qua vero ratione potest quis fiducialiter ut justificetur & salvetur Christum apprehendere, si dubitat num ista apprehensione sola justificari queat? Dubium enim omnem fiduciam & fidem tollit. Num fiducialiter & salutariter in Christum credet, qui nescit se hac fide salvari? Num justificabitur aut salvabitur, qui sola fide nos justificari aut salvari dubitat, h. e. non credit? Præterea si dubius est, plane non credit, nec operibus confidit, sed quo se vertat incertus hæret. Vides ergo, *Ambrissete*, multa ob stare quo minus tuus *Dubitantius* salvetur, veræ sc. fidei salvificæ absentiam. *Exemplum de ægroto* adhuc claudicat, cum vitæ panis Christus non nisi fideles, h. e. scientes, & Jesum Christum fiducialiter cognoscentes *Joh. 17. 3.* non infideles, h. e. ignorantes, & dubitantes vivificet, quæ cognitio ad salutarem medicamenti usum præcisè non requiritur in ægroto, agit n. medicamentum naturaliter & necessario, etsi quis dubitet de ejus efficacia. vid. *Curt. l. 3. c. 6.* at cum fide omne dubium est impossibile. Noli ergo, *Ambrissete*, simile ultra tertium extendere. Assumimus præterea, quod noster in exemplo adversus allegato facile concedat, viatorem ignorantem viam aberrare posse. Sic enim & ille qui dubius est, num sola fides, an vero etiam opera justificent, aberrare & perire potest, & proinde ne aberret, absolute necessarium est determinate eum scire quomodo salvemur, & quæ sit via salutis. Cognosce hinc, ingenue lector, annon quodlibet ca nostri Theologia salutem animæ, *Dei sanguine Act. 20.* acquisitam, æternæ damnationis discrimini exponat. Per accidens equidem fieri potest, ut si dubitans recta via utitur, haud aberret, at quam difficile hoc est, quam periculosum, & cum multo-

rum damno conjunctum? quis Vir prudens ingreditur viam, nisi prius quomodo ambulandum exploraverit? quis vero sic per accidens, ut noster Consiliarius suadet, salvari cupiet? non ego certe. Suo id faciat *Ambrosius* periculo.

§. 39. §. IX. *Iterum prater scopum adversarius operosus est, ut Pontificios refellat circa cultum sanctorum. Male autem scribit ab Autore h. l. assertum fuisse, Pontificios nos debere in fraternam unionem recipere, quæ verba pag. 674. d. tract. ubi materia hæc, de cultu sanctorum occurrat, minime habentur nec in tenore formali, nec per æquivalentiam, sed hoc tantum asserit Autor: posito quod Pontificij hic errent asseverantes intercessionem sanctorum, tamen nos non debere animum acerbum ea propter inter nos gerere. Huius asserto vel contradicit Argentinensis Præses, vel non, si non contradicit, cur ergo consentiens auctori nostro tam inanem assert verborum apparatus? Sin contradicit, necesse est ut statuatur, debere nos animum acerbum inter nos gerere, ubi ergo manet etiam stantibus religionis controversis ipsius ex Paulo tantopere commendata dilectio communis?*

§. 40. Non certe apparet qua in re adversarius *Ambrosius* prater scopum operosus sit, ut Pontificios refellat circa cultum sanctorum; gravissime, dumtaxat eos peccare dicit, & ob errorem hunc hæreticos esse ostendit. Et quæ non asserat *J. C. Altorphinus* nos nec hoc errore de Invocatione sanctorum obstante debere Pontificios in fraternam communionem recipere, cum pag. 674. d. tract. neget, Romanenses propter idololatriam, qua *Dei* Jesu Christo vero Deo debitam, Rom. 16. 18. Sanctis exhibent, pro hæreticis habendos, & (NB) nullatenus catalogo hæreticorum connumerandos esse, p. 665. sed fidei principia salva manere contendat. Qui hæretici nullatenus sunt, annon pro fratribus sunt habendi? sed hoc tantum asserit Autor, regerit *Ambrosius*, posito quod Pontificij hic

hic errent, asseverantes intercessionem sanctorum, tamen nos non debere  
 animum acerbum ea propter inter nos genere. Ergone nondum credis  
 errare hic Pontificios, cum id poni jubeas? & quæso quis unquam  
 propter hunc errorem nos erga Pontificios acerbis animo esse de-  
 bere dixit? Acerbi, inquit Aristotel. l. 4. Ethic. ad Nicom. c. 5.  
 propemodum sunt implacabiles, diuq; in iracundia perseverant. Iram  
 enim continent & comprimunt, quæ tum quiescit, cum injuriam ultri-  
 fuerint. Et de hac acerbitate si suum asertum intellectum velit  
 autor, ei non contradicit Pl. Vener. Dn. D. Praeses Argentinensis, quem  
 citra meritum rursus pungit noster. Non etiam ejusmodi acerbis  
 & odij actus sunt excommunicare & anathematizare, sed charita-  
 tis, *ἡ γὰρ τὸ πνεῦμα σωτῆρ ἐστὶν καὶ τὴν ἡμῶν τῶν Κυρίων* I. Cor. 5, 5.  
 justus zelus pro veritate cum scientia nec acerbitas est, nec cha-  
 ritati repugnat. S. Johannes in Epistolis nil nisi charitatem spirat,  
 & tamen hæreticis *ave dicere* prohibet. Quod si acerbum animum  
 gerere hoc noster, ad invidiam Orthodoxis conciliandam, vocat,  
 assero exemplo Apostoli contradicit Vir Ampl. Exoptat equidem  
 omnem discordiam sopiri, sin vero hoc per adversariorum pertina-  
 ciam obtineri nequit, salva ex Paulo tantopere commendata dilectione,  
 eos pro hostibus Ecclesiæ, qui nec recipiendi sunt, & quibus  
 etiam non Ave dicit debet, habendos judicat, sive syncretistæ hoc  
 nomine eum acerbum, sive aliter vocent.

§. 41. Nec certe effugiet, tumultuatur Ambriset-  
 tus, si dicat se autorem in eo impugnare, quod scripserit:  
 Pontificios propter intercessionem sanctorum non esse haben-  
 dos pro hæreticis, quoniam hæc asserio per sequentem ap-  
 pendicem satis utique & expresse est à nostro amico restri-  
 cta; modo sc. Pontificij (1.) aliis mediis veris ad salutem  
 utantur (2.) cultum intercessionis non in adorationem  
 convertant. Si itaque adversarius Romano Catholicos  
 complectitur sub dicto Pauli I. Cor. 6. & Eph. 5. adeoque  
 eosdem idololatrarum numero habet, pugnam cum iisdem  
 hæc de re ipse inibit, qui dubio procul non negabunt modo,

*sed & calumniam hoc idololatrarum nomen appellabunt. Verum Autor hac lite non indiget, sed in quemcunque victoria eventum salvam habet suam causam: Si enim Theologus Argentinensis superior fuerit, certe tunc Pontificiorum cultus non manet in nudis terminis intercessionis, quem casum Autor noster restrictione sua, ut vidimus, jam excepit. Sin Pontificij, thesis ejus iterum salva manet per se. Cur ego impugnatus est ab adversario tam improvide?*

§. 42. Araneæ hæc est textura, satisque improvide suum defendit Ambrissetus amicum. Negat Politicus Altorphinus Romano Catholicos propter intercessionem sanctorum pro hereticis habendos esse, si (1.) aliis veris mediis ad salutem utantur. (2.) si cultum intercessionis non in adorationem convertant. Sed desumpta hæc esse ex Armamentario Hugon. Grot. Annot. ad Cassand. Consult. & Georg. Calixt. Annot. ad Sess. 25. Conc. Trid. haud obscure patet. Hic enim in gratiam Syncretismi cum Papistis hanc excogitavit hypothesein, invocationem sanctorum pro intercessione utiliter posse institui, si allocutiones nostras audirent, & Romanentes, quando dicunt *ora pro nobis*, si invocatio intra illud consistat, ab idololatria immunes esse, add. Disp. D. Calixt. de Anim. sep. §. 30. Sed quid insulsius hac dici potest propositione: *Si Pontificij aliis veris mediis ad salutem utuntur, error de cultu sanctorum non est hereticus?* Falsissima est hæc positio. Dicitur enim error hereticus, non quatenus etiam in aliis errans male sentit, sed quia ex propria indole talis. Hæreticus est qui unum pertinaciter errat errorem fundamentalem, etsi etiam contra indolem hæreseos vivat; *πράξι* enim doctrinæ sæpe non respondere, minime novum. Totum articulorum Systema illæsum manere debet. Audiatur B. Luther. Tom. I. Witteb. f. 90. *Es ist nur ein Teuffelischer und betrieglicher listiger Anlauff / so solches fûrgibt und fordert / daß man solle etwas weichen / und einen Irthumb zu gut halten / umb Einigkeit willen / damit er uns suchet also listiglich vom Wort zu fûhren.* Dein hic de Invocatione sanctorum Papistica error

ror impedimento est, quo minus ita statuentes alia vera media salutis adhibere possint. Audi *Artic. Smalcaldic. P. II. art. 2. Invocatio sanctorum est etiam pars abusuum & errorum Anti-Christi, pugnans cum primo principali articulo & delens agnitionem Christi. & mox: Invocatio sanctorum res est perniciofa.* Altera restrictio nostri ignorantiam prodit. Omnino enim convertunt cultum hunc in adorationem Pontificii. Ita enim *Artic. Smalc. l. c. quorum iudicio tuum submittere cogeris, si maxime cum aliis in gratiam Calvinianorum dicas, Augustana Confessionis veritatem & Auctoritatem tam religiose Te custodire, ut nullis novis symbolis relinquas locum.* Latriam, Duliam & Hyperduliam tres cultus religiosi species ipse *Bellarmin. l. I. de Sanct. Beat. c. 14. facit.* Quid, quod ipsa *Synodus Tridentina Sess. 25. sanctos esse invocandos suppliciter, & ad eorum orationes, opem & auxilia confugiendum statuat?* Annon tanta fiducia invocantur, ut confidant homines, sanctos per merita sua, id quod petunt apud Deum impetraturos esse, imo in remissionem peccatorum, & salutis aeternae ademptionem, ipsorum intercessionem sibi cedere credant? Annon eos jejuniis, feriis, missis, oblationibus, templorum, altarium & cultuum foundationibus honorant, quae omnia ad latriam spectant? Annon imagines per se venerandos docent, ut venerationem terminent? vid. *Rivet. Cathol. Orthod. P. I. f. 339.* Manet ergo, quod in *II. Symbol. verè decisum est, Idololatrias esse Papistas,* qui ut *Paul. I. Cor. 6, 9. Eph. 5, 5. dicit, Regni Dei hereditatem non consequentur,* etsi illi hic calumniam clament, definitum negaturi, cum illis competat definitio. Nec propterea *Jactus Altophinius salvam habet suam causam,* contemptui enim, risui & vanitatis sic suam tractationem universam jam eum exposuisse manifestum est. Contemptui, quia temere de momento controversiae, cujus indolem ignoravit, suum tulit iudicium, mutans quaestionis statum. Risui, quia hypothesebus quas partes non agnoscunt, nec etiam agnoscent, positis, utopicam tentat concordiam. Vanitati, cogitur enim, cum res aliter, atque ipse posuit, se habeant, concedere, non posse cum Papistis unionem Ecclesiasticam iniri, quo concessio vanitas consilii apparet, omnisque

structu-

Structura non sine Architecti dedecore corrui. Hæreticos non esse Pontificios probare voluit, at non sic probavit, qui ergo causa ejus quoad unionem partium dissidentium, quæ nostri unicus scopus, *salva manet?* Et fingamus etiam cultum Pontificiorum manere in nudis terminis intercessionis, compellatio tamen animarum pro intercessione apud Deum facienda, sub hac præcisa ratione non caret omni idololatria, cum non sint per scripturas objectum invocationis in nostris necessitatibus, sed solus Deus.

§. 43. §. X. *Posito, Purgatorium esse rem indifferentem, NB. ut est, non certe videntur Pontificij ad negativam præcise astringendi, quod autem hic ipse canon, tacente scriptura & nobis tacendum, apud Pontificios minime sit concessus, quis adeo est in Theologia hospes ut nesciat.*

§. 44. *Rem esse indifferentem purgatorium, nemo nisi Indifferentissimi Patronus dixerit. Quem enim fugit, quantos errores dogma hoc foveat & post se trahat? quomodo omne solatium & gaudium Evangelicum suffocet, merito & satisfactioni Christi sit ignominiosum & injuriosum, plenariam justificationem neget, propriam satisfactionem firmet, idololatriæ Missaticæ fundamentum, & causa etiam sit? Quis ergo Pontificios ad dogmatis hujus verè Antichristiani abnegationem præcise astringendos neget? parum etiam refert, siue canonem hunc, tacente scriptura in questionibus fidei nobis quoque tacendum esse, Pontificii concedant, siue negent. Sufficit muniri eum sufficienti sacrar. literarum perfectione.*

§. 45. §. XI. *Non impugno, inquit Ambriset. definitionem sacramenti in genere ab adversario allatam, sed credo illam compendiis nostris Theologicis esse conformem. Nodus autem questionis, hoc in passu non consistit, sed potius in eo, cum Pontificij, ut adversarius non inficiatur, hanc definitionem sacramenti in genere haud concedant, quomodo*

*modo salvis logicis principiis disputare invicem possimus? Respondet adversarius definitionem colligendam esse ex inductione, quæ responsio, salva viri pace dixerim, est valde frigida & sicca, si enim ex inductione baptismi & S. Cœnae dominicae Lutheranus aliquis colligere vellet definitionem sacramenti generalem, dicerent Pontificij esse insufficientem enumerationem partium, imo committi circulum, si quis ab inductione binarii sacramentorum numeri definitionem colligere, & inde negativum argumentum contra quinque cetera ipsorum sacramenta formare velit.*

§. 46. Non equidem definitionem sacramenti in genere ab adversario suo allatam impugnat Ambriset. num vero sincere eam approbet, quam (NB.) compendii nostris Theologicis, quæ quanti faciat itidem incertum, conformem credit, jure valdè dubito. Quærit autem cum Pontificij eam haud concedant, quomodo salvis logicis principiis disputare invicem possimus? Verum quare non ex definitione sufficienter probata, ut adversarius nil solide contra eam proferre possit, disputare possim? *Sed valde frigidum & siccum illi videtur, nec sine aculeis, quibus Pl. Venerand. Conventus Ecclesiast. Dn. D. Præsidem non sine injuriâ pungit, ex inductione sacramentorum utriusque partis confessione talium, vel le sacramenti in genere definitionem colligere.* Atqui solide ita B. Chemnitius in Exam. Concil. Trid. aliique orthodoxi hæcenus collegerunt. Lynceis gaudere oculis necesse est Syncretistas, (salva pace Ambriset. hoc dixerim) quibus solis sc. animadvertere contingit, quod orthodoxos latet. Sed audiemus rationes. *Si enim, ait, ex inductione baptismi & S. Cœnae Dominicae Lutheranus aliquis colligere vellet definitionem sacramenti generalem, dicerent Pontificij esse insufficientem enumerationem partium; sed ineptè.* Num enim cum Philosophi definitionem τῆ animalis non ex inductione omnium præcise specierum, quarū multæ adhuc nos latent, collegerint, eadem non erit admittenda? & jurene quis diceret esse insufficientem enumerationem partium? non sane. Omne id  
 G quod

quod de pluribus specie differentibus in quid prædicatur, quale etiam est sacramentum, ut convenit Baptismo & S. Cœnæ, genus est, & definitio ejus generica, sive in conceptu genetico formando omnium specierum inductionem feceris, sive non, & quibus ille conceptus genericus proxime competit, non possunt non sub eodem tanquam species sub genere proximo locari. Aut itaque τὸ *sacramentum* respectu Baptismi & S. Cœnæ erit genus proximum, autem remotum. Hoc absurdum, quidnam enim generis proximi loco erit ponendum? Sin illud, Pontificiorum quinque in controversiam vocata sacramenta talia non erunt, quia non cum reliquis sub eodem genere proximo poni possunt. Æquè ineptum foret, *Ambrissete*, quando *circulum committi* dicerent, si quis ab inductione binarij sacramentorum numeri definitionem colligere, & inde negativum argumentum contra quinque cetera ipsorum sacramenta formare velit; Si enim quis assereret, arborem, herbam &c. esse animalia, num circulum committeres si ab inductione earum specierum, quas adverbis concedit, definitionem animalis colligeres, & inde negativum argumentum contra species animalis controversas v. c. arborem, herbam &c. formares?

§. 47. *Melius ergo, judicio Ambrisseti, additur in sequentibus, perinde fore, si sacramenta latius sumamus (quamvis non ex primatur descriptio sacramenti in illo latiori significatu.) sive id septenario, sive binario numero comprehendatur, modo in rebus nihil novetur; hæc tamen quidem non male, præterquam quod excipi possit, sic potius de effectu sacramentorum disputandum fore non de numero eorundem, uti nunc fit de facto.*

§. 48. Notandum est τὸ *melius*. Haud obscure enim innuit sibi magis, ex studio sc. Syncretismi cum Papistis, placere, ut *latiori* aliqua hujus vocabuli significatione, *septenarius* sacramentorum *numerus* cum Romanensibus potius, quam *binarius*, specialiori quadam vocabuli hujus acceptione, asseratur, parum



parum interim observans, ita non septem præcise, sed plura quam septuaginta in veterum scriptis reperiri sacramenta. Item hic quæstionem esse de Sacramentorum *γινώσκω* talium definitione, & an Conjugium, Pœnitentiâ &c. sint eodẽ sensu sacramenta, quo Baptismus & Cœna Domini. Sin autem *Ambrifettus* ignorat differentiam *latioris & strictioris significationis τῆς sacramenti*, consulat ex nostris *B. Dannhavv. Mysterior. p. 72. è Reformat. Rivet. Cathol. Orth. tom. 2. f. 19. tr. 3. q. 2.* videbitque non de facto de numero disputari. Et licet de Numero partes conveniant, non tamen de effectu sacramentorum disputantium, quæ controversia longe majoris est momenti, eandem tam facile audies sententiam.

§. 49. §. XII. *Autor noster in sæpe, ait Pseudo Vincen-  
tius, d. tract. suo d. c. 21. non statuit transubstantiationem  
corporis Christi in S. Cœna, ideoque etiam nulla indiget  
defensione adversus argumenta adversarii transubstan-  
tiationem impugnantia. Quamvis non immerito quis du-  
bitaret, an argumentum de materia panis & vini post  
consecrationem vel manente vel intereunte Pontificios  
stringat, quippe qui dicere possunt, manere illam materi-  
am, non vero substantiam panis vel vini, adeoque hinc  
non sequi. E. nulla est facta transubstantiatio, quemad-  
modum etiam in naturalibus se res habet, ut materia rei  
corrupta maneat, licet revera contigerit substantialis mu-  
tatio.*

§. 50. Sed *Ambrifette*, nec possunt nec volunt ita Fratres  
tui Romanenses respondere, *totalem enim secundum materiam  
æque atque formam, notat transubstantiatio illis conversionem, &  
quidem per desitionem τῆς esse, in successione adductiva corpo-  
ris Christi in locũ panis qui desit, & proinde etiam quatenus talis  
nihil est. Deinde differentiam inter conversiones supernaturales  
reliquas, & hanc Eucharisticam, sic inter alia exponunt, quod  
in illis probabile sit materiam primam mansisse sub utroque ter-*

mino, in hoc autem (NB.) certum esse non maxere. Impertinenter ergo physica istæ mutationes à nostro adducuntur.

§. 51. Quod vero finis, pergit, sacra Cæna cumprimis sit considerandus, cui quæso dubium esse potest? nec refert quod id dicant omnes Syncretista, si modo non male dicant. Excipit autem adversarius: periclitante substantia S. Cæna ejusque integritate periclitari etiam fructum. Respond. Antecedens de periclitante sc. substantia S. Cæna, continere ipsissimam controversiam inter pugnantibus religiones. Concesserim vero facile argumento, substantiam S. Cæna servandam esse integram, eamque sub utraque specie administrandam, ast vero quod modum præsentia corporis Christi attinet, quoniam adeo controversatur inter tres religiones nostri Imperii, difficile certe est dictu, absolute eum hoc ipso omni excidisse spe salutis, qui non præcise credit modum præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cæna, quam rectior licet Luthera-na fides asserit, idque est quod innuit Autor noster d. tract. p. 678. & 679.

§. 52. Finem S. Cæna imprimis etiam considerandum esse nemini utique dubium est, sed hoc non sufficit, & si qui hoc ex Syncretistis asserunt, male dicunt. Bene etiam se habet, quod de hoc pestilenti hominum genere hypotheticè Ambriset-us noster fuerit locutus, si modo non male sentiant. Parum bono enim ab his sibi veritas Evangelii & afflictæ mater Ecclesia polliceri potest, quibus solis suas calamitates, sui que splendoris amissionem passim in Germania debet; quique nihil, nisi suo Syncretismo inserviat, dicunt. Ad exceptionem minus recte respondetur; eo ipso enim dum per controversiam hanc à Pontificiis substantia S. Cæna impugnatur, adulteratur & negatur, eadem etiam periclitatur, unde impugnari quoque, negari & consequenter periclitari fructum à tali præcise à Christo ordinatam non

non ab eâ quam adversarii fingunt, sacramenti substantia venientem, necesse est. Cumq; *modus presentia corporis Christi*, quem Romanenses defendunt, sacram Cœnam etiam parte substantiali privet, corpus Christi, quod filius Dei non nisi in utero B. Virginis ex sola substantia ejus assumpsit, ex pane factum introducat, corpori Salvatoris glorioso ignominiosus sit, & per se cum idololatria conjunctus, quis eum qui hoc credit & facit, hoc ipso absolute & per se spe salutis excidere dubitet? Audiant, qui errorem hunc parvi æstimant, interpretem mysterii iniquitatis *Cornel. à Lapid.* ad *Esai. 7.* *Per verba consecrationis*, inquit, *vere & realiter uti transubstantiatur panis, ita producitur & quasi generatur Christus in altari adeo potenter & efficaciter, ut si Christus nec dum esset incarnatus, per hæc verba: Hoc est corpus meum, incarnaretur, uti (NB.) graves Theologi docent. Sacerdos est ergo quasi virgo Deipara, presepe est altare, parvulus Emanuel quem parit est Christus sub parva hostia &c.* quis pie lector, tale dogma non vocet hæreticum? *Wer Gott in einem Wort lügen strafft und lästert / quale hoc dogma est, der lästert dem ganzen GOTT. Es ist ein Gott / der sich nicht theilen läst / oder an einem Ort loben am andern schelten / an einem Ort ehren am andern verachten / ait B. Luther. Tom. III. Jenens. f. 341. Si Tatiani & Encratite, qui ab Eucharistia vinum sustulerunt aqua substituta, apud Epiphan. Hær. 46. item Pepuziani, qui cum pane caseum dederunt, Catalogo hæreticorum connumerati fuerint, quare Pontificii, qui itidem errore transubstantiationis partes S. C. essentielles destruunt, non pro hæreticis erunt censendi? vid. Dn. D. Joachim. Hildebrand. Dissert. de Hæresi doctissimam, Helmstadi an. 1657. habitam §. 27. 28. Nec obstat, *Ambrosiæ*, quod de modo presentia corporis Christi inter tres religiones nostri Imperii cõtrovertatur, concedebant enim olim & Ariani Jesum esse Deum, quanquam vero quoad modum divinitatis valde fuerit controversum, non tamen difficile erat dictu, absolute eos hoc ipso omni spe salutis excidisse, quod non divinitatis Christi credebant modum, quem *Homousiani* asseruerunt.*

§. 53. Quod vero adversarius, concludit noster, ad instantiam, de Petro ibidem adductam excipit; illum non debuisse ordinarie vel cum cognitione hujus articuli salvari, ex eo haud leve argumentum quis ducere posse videtur, questionem illam de modo non esse simpliciter articulum fundamentalem, sive ut adversarius loquitur, primario talem.

§. 54. Sed aerem feris Ambrifette, cum nusquam dictum fuerit, questionem de modo praesentiae concernere articulum fidei primario talem. Hoc tamen non obstante error Romanensium est haereticus!

§. 55. §. XIII. Quod ex absoluto decreto sequatur eos, qui id admittunt, fidem non possidere, ita ut impossibile sit eosdem Deo placere, Calviniani procul dubio magis calumpniam esse asserent, quam si dicatur illos statuere, quod electi salventur, quicquid agent, & reprobi vicissim damnentur, etsi bene agerent. Videntur autem Calviniani non ex universalitate gratiae divinae, sed operationibus Spir. S. fidem interne in hoc vel illo homine accendentis, metiri electionis certitudinem. Quicquid sit, etsi contraria sententia melior ac tolerabilior probetur, nondum tamen ex scripturis probavit adversarius qualitatem erroris fundamentalis, accedit, quod amice conferendo spes esse possit, sequiorem sententiam mutatum iri.

§. 56. Verum vana sunt quae noster personatus de suis fratribus suspicatur, ejusque  $\tau\delta$  procul dubio opponimus nostrum non procul dubio. Quod fidem Reformatorem attinet, non negatur dari simplices in coetu illorum qui vere credant, cum horribilem, ipsius Calvinii judicio talem, suam de absoluto decreto doctrinam non pro concione proponant Dd., quam potius occultandam censent, aut ex doctrina de gratia particulari, absolutoque electione;

electionis & reprobationis decreto eandem concipi pernegatur, imo potius hæc eandem excuti dicimus, quicquid illi contra clament & asserant. Crede enim Deum velle tui salutem, elegisse Te ad vitam æternam, Christum esse pro Te mortuum, Deum remittere Tibi peccata, si nescis hæc ad te spectare. vid. *Dna. Wittebergens. Gründlich. Beweis* p. 231. *Sed videntur*, instat *Ambrifettus. Calviniani non ex universalitate gratiæ divinæ, sed operationibus Spir. S. fidem interne in hoc vel illo homine accendentis, metiri electionis certitudinem*; verum infelicissime! nesciunt enim an ille sensus sit operatio spiritus sancti, pungatur cor illorum, habeant pia desideria, non tamen propterea erunt electi, ut exemplo *Felicis & προσελπισον* patet, cum similia cadant in Reprobos. Asseverant *Britanni* in *Iudic. ad Artic. V. th. 1. quibusdam non electis concedi quandam illuminationem supernaturalem*. Annon in Reprobos cadit *gustatio donorum cœlestium, participatio Spir. S. & cognitio veritatis*, *Ebraor. 6, 4. c. 10, 26.* quo *αρετισις* E. à reprobis se eximent? Et quæso, quid fiet tempore tentationum, in fidei deliquio, in agone, aliisque casibus? Frigide loquitur, ut *Syncretista*, & indifferentissimi *Patronus*, adversarius de orthodoxia, quando eam *tolerabiliorem saltem & meliorem* horribili isto absoluto decreto asserit. Num *Calvinianorum σκολιοδοξία* Tibi *bona & tolerabilis* videtur? ita sane apparet, cum scribis, *adversarium nondum ex scripturis qualitatem erroris fundamentalis probasse*; sed quid respondes ad argumentum ex *Gal. 1, 9*? Quicumque aliud prædicant Evangelium præter id quod accepimus, illis est dicendum anathema. Calviniani universalem gratiam negantes, & sic Evangelium pervertentes, piosq; turbantes hoc faciunt, ut manifestum. E. *Simplicitatē prodit quando amice conferendo sequiorem sententiam mutatum iri noster sperat*. Synodum *Dordracenam & Confessiones suas Reformatos rejecturos esse frustra speratur*; aliud testantur controversiæ inter *Amyraldum & Spanhemium* agitatæ, aliud loquuntur conatus *Durai*, & aliorum *Irenicorum* scripta, transitum *Reformat. in nostram sententiam minime admittentia*, aliam spem scripta *modernorum Calvinistarum* relinquunt, ex quibus *Samuel Marefius*, celebris alias *Ireni-*

Irenicus, Respons. ad Epistol. Blondell. glorior, inquit, me nunquam virus universalis imbibisse, quo si me sentirem infectum, illud removere vellem cum meo sanguine; aliud denique colloquium Cassellanum, plus justo amicè habitum, & quotidiana Calvinianorum praxis nos sperare jubent. Superiori anno 1669. cum Geneva inter Theologos de gratia Dei universali orta essent sententiarum divortia, Mestrezato & Trounschino eandem propugnantibus, reliquis autem, præcipue Turretino, contradicentibus, tandem cum juratus gratiæ divinæ hostis Maresius se negotio immiscuisset, sub pœna remotionis ab officio doctrina de gratia universali fuit prohibita.

§. 57. §. XIV. Antagonista satis audacter Auctorem nostrum falsitatis accusat asserentem, quod Jesuitæ & Calviniani in articulo de Persona Christi, ut plurimum conveniant, cum id haud obscure appareat ex publicis scriptis eorum quoad communicationem idiomatum, quam rem inter alios declaravit Mog. Jes. Bus. Nec valet argumentum in contrarium, quia licet Jesuitæ ut ceteri Romano Catholici omnes fateantur realem corporis Christi præsentiam in S. Cœna, non propterea eandem statuunt ex vi communicationis idiomatum, sed potius utpote præsentiam sacramentalem transubstantiationi tribuunt, à cuius præsentia discrepantia inter Calvinianos & Jesuitas ad discrepantiam eorundem in articulo de Persona Christi, non bene ratiocinari poteris.

§. 58. Nulla est hæc consequentia, Vincenti, Jesuitæ & Calviniani conveniunt in argumento de Persona Christi quoad communicationem idiomatum, E. ut plurimum conveniunt. Non enim probabitur eos, quoad controversias de Officio & Statibus Christi idem sentire, ne quidem ex Lojolita Busæo ad quem provocasti. Confer B. Dannhavy. Hodom. Pap. Phantasm. 8. cum Hodom. Calvin. Phantasm. 8. & videbis. Recte præterea adducta

adducta fuit instantia de reali corporis Christi presentia in S. Cœna non quidem ad probandum Romanenses statuere *communicationem idiomatum*, sed quod à Calvinianis in controversia de Præsentia corporis Christi in multis locis vera & reali, quam illi pernegant, dissentiant. Et quomodo hanc presentiam transubstantiationi tribuant, tradit Cornel. à Lapid. ad Act. 3. f. 105. Non docemus, inquit, Christum cœlo evocandum ad Eucharistiam, quasi cœlum deserens, locali motu ad nos descendat, sed quod manens in cœlo per omnipotentiam DEI se presentem sistat in Eucharistia, idque invisibiliter. Quod cum in carnem Christi cadere posse negent Reformati, quis non recte ad discrepantiam eorum à Jesuitis in articulo de Persona Christi hinc argumentetur?

§. 59. Rem ipsam quod concernit, Autor noster assertive nec affirmavit nec negavit *communicationem idiomatum*, sed retulit tantum controversia merita atq; insuper argumentū ab unione Personali petitū adhuc in questione esse, uti revera controversum est, asseruit. Ad cuius argumenti defensionem adversarius profecto parum subsidii affert, cum enim desiderat, ut ostendatur petitio principii, invertit disputationis ordinem, ejus quippe est ostendere argumenti consequentiam, qui illud pro se formavit, jam quia adversarius cum aliis sic vult argumentari: in Christo dua natura realiter sunt unite. E. admittenda est *communicatio idiomatum*, & vero Calviniani negant consequentiam hujus argumenti, utiq; probatio incumbit affirmanti, cur ego noster Theologus efflagitat demonstrationem petitionis principij? Quid quod in terminis autor eam non objecerit, sed retulerit tantum hoc argumentum non usque quaq; esse expeditum?

§. 60. Verum quod Autor Tract. de Rat. Stat. assertive nec affirmaverit, nec negaverit *communicationem idiomatum*, forte

ideo factum est, quia eorū Lutheranorum numero continetur, qui communicationem idiomatum negant. Somniare enim eum tales d. tr. p. 682. haud obscure patet, cum communicationem idiomatum (NB.) *plerosq;* Lutheranos admittere scribit. Ea etiam quæ *Ictus* ibi *retulit* desumpta esse ex armamentario Syncretistarum Castellanorum, facta cum illis collatio *Relationis* dicti *Colloquii* docet, de quibus quid judicare cordate Lector debeas, Te *Dnn. Wittebergens.* in *Epicrisi, Antapol. & Gründlichem Beweiß* / aureo sane & incomparabili scripto, & in *Academia Argentoratensi Ampliff. Dn. D. Isaac. Faustius* in *Exercit. ad Colloq. Castell.* docuerunt. Et *asseruerit* idem *argumentum ab unione Personati petitur, adhuc in quaestione esse*, quod tamen solide hætenus fuit probatum, & frementibus licet hæreticis, inconcussum mansit. Quid tum? Si propterea enim argumentum, quod ab adversario non admittitur, verè in quaestione adhuc esse dici potest, omnia nostra argumenta, quibus contra *Arianos, Socinianos, Homousia & æterna Filii Generatio* probatur, adhuc erunt in quaestione. Aliud est argumento contradicere, aliud solide quid ad illud reponere. Num & argumenta Christi fuerunt in quaestione adhuc, cum illis hominum *malitia* contradiceret? Jure ergo desideratur, ut, qui argumento hoc utentes *petitionis principii* accusant, ostendant esse *petitionem principij*, cum centies hætenus ex scripturis illud fuerit probatū, Calvinianis nil solide respondentibus. *Ambrissete*, si quis tuas *hypothesen & thesin* rejiciens, quas tamen Te solide probasse credis, Tibi ex iisdem argumentanti *petitionem principii* objiceret, annon, cum rationibus etsi minime validis illas muniveris, *hanc ostendi* postulares? *Nec invertitur disputationis ordo*, cum argumenti hujus *consequentia* sic hætenus sit probata à *B. Chemnit. Menzero, Dannhavvero*, & qui in solatium *Ecclesiæ* diu vivat, *Dn. D. Calovio*, ut nil solidi non solum hætenus responderint, sed potius nobiscum, et *fratilio sensu*, loqui, imo *revera nullam esse controversiam*, ut *Fabricius Theologus Heidelbergensis* in *pecul. Meditat. de Controv. circ. Pers. Christi*, asserere inceperint adversarii. Jure ergo *efflagitat* ille, quem *scoptice* noster

Theolo-



Theologum appellat, si argumentum ab unione personali petitur, & hactenus sufficienter probatum, adducentem petitionis principii accusare audit adversarios, ejus demonstrationem. Impudenter asseritur, argumentum hoc non esse usque quaque expeditum, sic enim Christi & Apostolorum argumenta non usquequaque expedita fuisse necesse est, cum & illis adversarii semper contradixerint. Confessio sc. *ἀποκατακρίσεως* supremo reservatur judici. Cæterū quanti nostræ Orthodoxiæ argumenta *Ambrosius* æstimet, haud obscure hinc colligitur, id quod ulterius etiam ex sequentibus cognoscitur. Sic enim pergit.

§. 61. *Insuper non animadverto quomodo per exemplum unionis animi & corporis, constabiliatur prædictum argumentum, partim quia exempla in genere illustrant non probant, partim etiam, quia hoc idem exemplum loco instantia est, & potius facit in contrarium, id quod sic induco: animus humanus est realiter unitus cerebro & quidem propter suam indivisibilitatem, totus toti cerebro, ac totus cuilibet ejus parti, eodem etiam modo unitus est cordi. Et tamen hac eadem unio animi cum cerebro, non infert præsentiam cerebri in corde, uti per se patet, quamvis non obstante illa unione animus humanus vere in corde sit. E. manifeste patet, ex unione reali non sequi de necessitate præsentiam unitorum quoad tertium, bene tamen inter se, id quod certe sufficit, cum nullo firmiori argumento contrarium ostendi possit.*

§. 62. *Judica ipse, cordate lector, de impudentia Ambrosii, illustre in sacris fundatum, & à pia Antiquitate, omnibusq; orthodoxis in hoc mysterio usurpatum exemplum taxantis: quis probationis gratia unquam illud adduxit? Ineptissimè autem instantia loco idem exemplum in gratiã Calvinistarum, extra aliquod τῷ λόγῳ extra carnem somniantium, affertur. Num enim ut in natura humana Christi πᾶν πλήρωμα θεότητος & σωματικῶς, & in corpore humano πᾶν πλήρωμα τῆς ψυχῆς, (ita se ratio hujus ex-*

empli habet *Ambrosio*) habitat, sic quoque in corde & cerebro  
 τὴν πλήρωμα τῆς ψυχῆς reperitur? λόγῳ num extra carnem,  
 ut Calviniani communiter in gratiam Nestorii affirmant, quem-  
 admodum anima extra cor in cerebro, manibus &c? Confundit  
 præterea præsentiam intimam cum extima, & veneno Calviniano  
 se infectum ostendit.

§. 63. *Cætera, quæ hic hausit adversarius ex Calo-  
 viano fonte, ut ostendat fundamentalem errorem Calvi-  
 nianorum, vix reor ipsi concesserint, sed calumnias potius  
 dicent. Sane si scopæ illæ in argumentum colligerentur, ita  
 se habiturum illud foret: Quicumq; negant humanam na-  
 turam esse, ubicunq; est divina, illi negant harum natura-  
 rum præsentiam. Sed Calviniani &c. E. Resp. Nexus  
 majoris profecto nullus est per ea, quæ jam diximus ex-  
 emplo unionis animi. Quod si de simplici præsentia loqui  
 velimus citra unionem internam, patet utiq; aliud cla-  
 rum exemplū ex ubiuitate divina, nam Deus T. O. M. sup-  
 positaliter præsens est tam cælo quam terra, quamvis cæ-  
 lum & terra dehinc non sint, invicem præsentia. Distin-  
 guendum itaq; omnino fuerit inter præsentiam unitorum  
 mutuam, & inter præsentiam alterutrius unitorum cum  
 quocunq; tertio. Prior absolute necessaria est ad realem  
 unionem, non vero posterior. Unde corrunt omnia tam fra-  
 gili fundamento ulterius superstructa.*

§. 64. *Quid Tibi Calvinizans Syncretista cum Præcepto-  
 re meo Dn. D. Calovio? utinam plus ex ejus fonte hausisses, tan-  
 tum veneni in Te non esset, atque ex Cassandreo, Calixtino &  
 Groriano fonte impuro imbibisti, sique, quas ita vocas, scopis  
 cerebrum tuum purgasses, à paroxismo Syncretistico, miser, Te  
 liberasses. Insigniter scopas conficere Te didicisse necesse est,  
 cum adeo artificiose eas in argumentum collegeris, cujus majorem  
 ita crude & nude positam & intellectam nemo agnoscit. Ita for-  
 manda ea est, & ita p. 24. disp. posita intelligi debet: Quicumq; negant  
 huma-*

humanam naturam esse λογω ἀδιαστός, ubi est divina natura, præsentem, negant harum naturarum ad se invicem indistantem præsentiam; Oceanus enim qui lambit regionem ab Antverpia centum miliaribus distantem, non est præsens Antverpiæ, sed ab ea solutus; quæ E. jam dixisti de exemplo unionis animi, Te Calvinizare ostendunt, nec majoris nexum, sicut modo declaratum, intelligendum, profecto infringunt. Num enim animæ, quatenus in cerebro est indistanter per unionem internam cor præsens, sicut humana natura divinæ ubique per unionem entelechiale & perichoristicam ἀδιαστός præsens est? Reliqua laborant confusione præsentia intimæ & extimæ, de qua posteriori in præsentiarum non queritur. Corrunt ergo reliqua huic confusioni superstructa.

§. 65. §. XV. Calvinianos, inquit Ambrissetus, hic ut & in reliquis articulis adversas religiones, quod ad rem ipsam attinet, minime defendo, cum nec id fecerit Autor noster, & hac res non sit nostri muneris. Interim ex scripturis stringenter nondum probavit Theologus noster hanc petitam conclusionem. E. quicumq; non admittit humanæ Christi naturæ præsentiam suppositalem in S. Cæna ille salvari nequit. Quod si eandem etiam evidenter & accurate probaret, spes superesse posset, Calvinianos ad nos accessuros, partim ob vim argumenti, partim ob amicabiliorem concordia intentionem. Non ergo studium unionis etiam quoad hunc eventum omittendum foret.

§. 66. Ast quam verum hoc sit, quod Calvinianos minime defendat noster, hætenus apparuit, & tota hætenus ab eo suscepta tractatio non est ejus muneris. Esse autem errorem hunc per se exitiosum ex 1. Cor. 11, 27. 29. constat, unde argumentum: Quodcunq; dogma facit indigne edi & bibi in S. Cæna, illud per se damnat. v. 27. Dogma Calvinian. negans oraliter edi corpus & bibi sanguinem Christi in S. Cæna est tale ex v. 29. non enim dijudicat corpus Domini, id quod corpus Domini est non pro tali accipiens, sed blasphemans potius, & ex infidelitate ortum Christo

pertinaciter contradicit. E. Spes Ambrifetti Calvinianos ad nos accessuros esse, ejus ignorantiam malitiæ hæreticorum prodit, & nostram orthodoxiam pungit, quasi parū evidenter & accurate hætenus esset probata, Calvinianis ad nos non accedentibus; & studium unionis etiam quoad hunc eventum nunquam fuit omisum, et si ille voto nondum responderit.

§. 67. §. XV. *Argumentum*, pergit, *si disputare de omnibus vellem, facile in proferentem retorquerem.* Hic autem respondeo adversarios non considerandos esse pro hoc statu controversiæ, neq; præsupponendam esse confessionem, sed ex scripturis placide corroborandam, ut alii commoveri possint. In quem finem rectissime etiam collimabit, si invektivæ disputationum & concionum acerbitates ex omni parte sub severa pœna inhiuantur. Ubi valde mirabor, si officium veri Episcopi, quod adversarius tantopere urget in acerbitatibus, (neq; enim placidam controversiarum expositionem pro hoc statu plane autor noster excludit) positum videatur.

§. 68. Jactantiam de retorsione argumenti justa parum curamus, donec specimen noster ediderit. Et quare non pro hoc statu controversiæ considerandi sunt adversarii, cum non de Stipulis, Paleis, sed fundamento solatii Evangelici & fidei quærat? & confessio ideo necessaria est, ut quid sentiant adversarii innotescat: quod si damnare pergant nostram doctrinam, ex scripturis ea, & quidem placide, sic tamen ut non sit charitas cœca, sine zelo & fide, ulterius corroboranda. Quod elenchum, quem sub invito *invektiva disputationum & concionum acerbarum* titulo noster cum aliis Syncretistis carpit, concernit, veras acerbitates ex cœco impetu provenientes nemo probat. Interim omnino pro Concione etiam tractandæ sunt controversiæ, & quidem cum elencho nominali, ut à lupo sibi oves cavere queant, zeloque insuper, sed cum scientia & pietate conjuncto opus est, ut & in auditoribus zelus pro gloria numinis accendatur. Nec hoc committentes *amarulentia sentina locum pacifacimus*, tantum abest, ut sic certantes non ζηλωταὶ καλῶν ἔργων

ἑρῶν monente ita Apostolo Tit. II, 14. dici debeant. Sed, inquis, placidam controversiarum expositionem autor noster non excludit; credo certe placidam, ad normam Colloquii Cassellani talem, h. e. quæ ulcus non tangit, ab elencho nominali abstinet, βὰθ ἁ errorum adversarii non exponit, contra exemplum Apostol. & Patrum inter gentes sub Ethnicis etiam Imperatoribus gentilem doctrinam intrepide, & cum magno zelo impugnantum; quæ dicat, aliter hic sentiunt Fratres nostri in Christo Crocius, Bergius, Stoschius. Ast est ne hoc prædicare *repestive & intempestive*. 2. Tim. 4.

§. 69. Cæterum Lutherus etiam conversus, quid de unionis negotio senserit, supra ex Dressero & Sleidano adduximus, & insuper quoque ex ejusdem literis ad Henr. VIII. Angliæ Regem, quamvis postea ob acerbum ejus regis Responsum, ipsum scripsisse pœnituerit, haud obscure constare potest. Quod vero consilium Autoris attinget de (NB.) Pacificis Theologicis ad colloquium mittendis, si Dn. Præses nō vult esse Pacificus, suo id faciat, sine tamē calumniosa aliorum insectatione, arbitrio, valde autem vereor ut senior Calixtus si viveret, aut Drejerus ituri sint ad amicū colloquium demū sub auspiciis & ex autoritate Præsidis Argen. ita enim disputationis contextus habet: *Mitteremus seniore Calixtum &c.* Quæ verba in Respondente stultitiam, in Præside (da veniam fasso Vir Reverende) plusculum arrogantia redolere videntur.

§. 70. Et nos passim quid de unionis negotio senserit, & qualem unionem B. Lutherus exoptaverit, supra diximus; in gratiam Tui, Ambriseræ, addo adhuc locum ex Tom. I. Witt. f. 90. (NB.) *Das Wort und die Lehre soll Christliche Einigkeit oder Gemeinschaft machen / wo die gleich und einig ist wird das andere wol folgen / wo nicht bleibt doch keine Einigkeit / & rursus vult, daß (NB.) wird uns nicht bewegen lassen / ein Nar breit vom Wort zu weichen.* Et quis negavit pacificos Theologos, veritales, qui pacē in verbo Dei fundatā quærunt, mittendos esse: quo sensu etiam Dn. D. Præsidem esse pacificum esse sciunt, qui virum celeberrimum norunt. Reliqua verba crassam & impolitam continent calumniam, quando ex verbis disput. p. 27. *Si existimaret Noster, rem esse consultam mitteremus, ad amicū sc. colloquium (si viveret) Calixtum seniore, aut adhuc viventē Drejerum &c.* extorq; re vult sub auspiciis & ex autoritate Præs-

*dis Argentinensis ad amicum colloquium hos missum iri, vel mittendos esse Inepte Ambrifette. Annon vides continere verba hæc meram permissio- nem ab arbitrio & bene placito sc. tui Amici suspensam? cur ergo tan- quam novus Ovidius Naso mira metamorphosi ea in sensum autoritati- vum mutas? Plusculum hoc (da veniam fasso Vir Clarissime) insipidarum ineptiarum, & mentis impotentia, bilisque motæ, redolere videtur.*

§. 71. Deniq, concluditur *Vincentius Ambrifettus inquit, votum voto jungere lubet, ut quod Rintelenses & Marpurgenses Theologi be- ne inchoarunt, id ipsum ab aliis feliciter perficiatur, adeoq, sub Auspiciis summae majestatis civilis, ab optimatibus Theologis h. e. profunde doctis, & ad unionem religionum veram, piam, scriptu- risque & fidei articulis fundamentalibus in iisdem comprehensis summe conformem, alacri studio collimantibus, religionis nego- tia sine preconcepto affectu examinentur, falsa accurate sed pla- cide tamen refutentur, & veritas utrinque ad Dei gloriam Eccle- siae & Imperii incrementum communi calculo approbetur. Amen.*

§. 72. Et nos quoque finem nostræ tractationi voto imponimus, ut quod Rintelenses & Marpurgenses Theologi, (quorum gloriae Numinis adversam, & orthodoxia noxiam, ut proh dolor! experientia passim testatur, unionem dum *Ambrifettus* laudat, Syncretistam eum esse omni dubio jam plane caret,) maximo cum scandalo & doctrinae Evan- gelicæ prodicione inchoarunt, id ipsum ab aliis feliciter retundatur, adeo- que sub Auspiciis summae majestatis Civilis, ab optimatibus Theologis, h. e. pro- funde doctis, ad tantum negotium aptis, veræ pacis cum veritatis victo- ria conjunctæ studiosis, qui Babelicam & Samaritanam religionum confusionem pio, & ex verbo Dei accenso zelo abominantur, & ad u- nionem religionum veram, piam, scripturis & fidei argumentis fundamenta- libus (utinam *Ambrifette* in hypothesi ita sanus fores!) summe, vere- que haud ἰν τῶς conformem, sine preconcepto quidem affectu, non tamen sine ἀσφαλείᾳ ἀς ὀρθοδόξιας ex verbo Dei hausta, examinentur, falsa accurate, sed placide, quantum vera charitas, cujus actus etiam sunt a- nathematizare & damnare, permittit, refutentur, & sic veritas utrinque ad Dei gloriam, Ecclesiae & Imperij incrementum communi calculo approbetur. Amen.

Domine serva nos in veritate Tua, sermo tuus est veritas. Fiat!

10  
20  
30  
40  
50  
60  
70  
80  
90  
100  
110  
130



**Qp**CARD 201

© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2012/2013